

Scutellum plerumque fuscescenti-testaceum. Hemelytra fere unicolora, clavo toto corioque usque ad marginem apicalem rufescenti-testaceis, margine hoc ipso angustissime albedo, cuneo basi sat late apiceque anguste albidis, disco interdum leviter fuscescente; membrana dilute fumata, venis pallidis vel ad partem rufo-testaceis, areolis fere totis pellucidis vel apice leviter fuscescentibus, macula pone apicem cunei hyalina sub-rectangulari apicem areolae minoris attingente, postice sat late obscurius fuscescenti-terminata. Pedes testacei, femoribus parce et minute fusco-punctatis, tibiis spinulis nigris et punctis minutis fuscis nascentibus, tibiis anticis spinulis subtilioribus saepeque testaceis, tarsis articulo tertio apice leviter fuscescente, tarsis posticis articulo tertio secundo longiore et duobus primis simul sumtis paullo brevioribus.

### 28. *Psallus luridus* REUT.

Tab. I, fig. 18, d (caput).

*Diagnosis:* Lurido-testaceus, opaculus, fusco-pilosus pilisque subtilioribus; sed sat longis pallidis densius pubescens; capite magno; antennis pedibusque concoloribus, illis pilosulis, articulis duobus ultimis simul sumtis secundo longitudine aequalibus, articulo tertio quarto duplo vel fere duplo longiore (♀); femoribus parcius, saepe seriatim fusco-punctatis, posticis leviter incrassatis, spinulis omnium tibiarum longioribus, fuscis, saltem tibiarum anteriorum pro certolumine testaceis, e punctis minutis fusco-nigris nascentibus, tarsis articulo ultimo toto vel apice fusco; scutello plerumque ferrugineo; hemelytris commissura, apice clavi plagaque vel macula postica corii fuscescentibus vel nigricantibus; membrana dilute fumata, macula ad apicem cunei hyalina; vertice (♀) oculo magno duplo vel duplo et dimidio latiore. Long. 4—4½ mm.

*Var. β:* Vertice pronotoque atomis fuscis parce adpersis.

*Var. γ:* Signaturis hemelytrorum obsoletis, vix fusco-pilosus.

*Hab. in Larice:* Gallia?, D. LETHIERRY; Tyrolia (Schalders!), D. Dr GREDLER\*); Hungaria (Tatra!) D. Dr HORVATH.

*Descr.:* Species structura capitis insignis et ab omnibus reliquis divergens, vix tamen genus diversum constituens. *Orthotyli fuscescentis* KIRSCHB. speciminibus pallidioribus primo intuitu similis, mox tamen hamo areolae alarum pedibusque punctatis distinguenda. *Ps. lapponico* REUT. nonnihil similis, sed tota lurido-testacea et opaca, supra pilis pallidis haud aureo-micantibus et minus fragilibus pubescens. Caput crassum et magnum, lurido-testaceum, dense pallido-pubescens, parum productum, fortiter declive, pronoti basi tantum  $\frac{2}{5}$  angustius, cum oculis longitudine circiter  $\frac{1}{3}$  latius, vertice feminae oculo duplo — duplo et dimidio latiore, clypeo fortius arcuato, gula distinguenda. Oculi nigri, magni, fortiter granulati. Rostrum testaceum, basin terebrae sat superans, apice nigro, articulo primo dimidium xyphi superante. Antennae corpore cum hemelytris  $\frac{1}{3}$  breviores, testaceae, pilosulae, articulo primo innotato vel intus puncto fusco, secundo ultimis simul sumtis longitudine aequali vel sub-aequali, quarto tertio fere duplo brevioribus. Pronotum lurido-testaceum, opacum, fusco-pilosum pilisque pallidis sub-intricatis densius-

\*) In Nachlese Wanz. Tirols p. 557 ut *Sthenarus Rotermundi* SCHOLTZ enumeratus, sec. spec. typ.